

lineant, ut præstatione salva cum desertis et culta possideant, sublata a paucis, quos iniquum est electa retinere: cum municipes gravatura sit pars relicta.

6. Impp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. Nebridio comiti R. P.

Quisquis conductor fuerit inventus possessor fundi [fertilis,] qui ex publico, vel templorum jure descendit, huic ager jungatur inutilior<sup>5</sup>. Quod si contra id reluctandum existimaverit, alius possessor sub eadem præstatione quaeratur; vel si voluntarius, qui sit conductor, non inveniatur, tunc<sup>6</sup> ad possessores antiquos, id est, decuriones, vel quoslibet alios loca juris prædicti adjunctis inutilibus revertantur: idoneis fidejussoribus præstitis. — Dat. 16 kalend. februar. CP., MERODAUDE 2 et SATURNINO CONSS. 385.

7. *Idem*, AAA.

Quicumque desertum fundum patrimoniale exercuerit, et fertilem idoneumque præstiterit: salvo patrimoniali canone<sup>7</sup>, perpetuo ac privato jure defendat, et velut domesticum, et avita successione quasitum sibi habeat, suisque relinquat, neque eum aut promulgatione rescripti, aut reverentia sacræ adnotationis quisquam a fructu impensi operis excludat. Cæterum eos, qui optimas ac fertiles possident terras, aut etiam nunc sibi existimant eligendas, pro<sup>8</sup> deserta scilicet portione summam debiti præsentis jubemus implere. Illos etiam, qui emphyteuticario nomine, nec ad plenum idoneas, nec omnibus modis vacuas detinent, sic ex illis quoque, quæ præsidio indigent, justam ac debitam quantitatem debere suscipere, ut indulto temporis spatio, post biennium decretum canonem solvendum esse meminerint. Nemo tamen qualibet meriti et potestatis objectione submoveatur, quominus ad diacothicæ vicem defectas possessiones patrimonialis juris accipiat, earum tributa et canonem soluturus: illud speciali observatione procurans, ut primo vicinas, et in eodem territorio sortiatur: dehinc si neque finitimas neque in eisdem locis reperit constitutas, tunc demum etiam longius positas: sed in quantum fieri valet, pro interjecto spatio sibi met coherentes, pro modo et æquitate suscipiat, ut id consensu omnium fiat, quod omnibus profuturum est.

8. Impp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. Tatiano P. P.

Qui agros domino<sup>9</sup> cessante desertos, vel longe positos vel in finitimis, ad privatum pariter publicumque compendium excolere festinat, voluntati suæ nostrum noverit adesse responsum: ita tamen, ut si vacanti ac destituito solo novus cultor insederit, ac vetus dominus intra biennium eadem ad suum jus voluerit revocare, restituitis primitus quæ expensa constiterit, facultatem loci proprii consequatur. Nam si biennii fuerit tempus emensum, omnis possessionis, et domini carebit jure, qui siluit.

9. Impp. THEOD., ARCAD. et HONOR. Ruffino P. P.

Qui fundos patrimoniales jure privato canone salvo susceperint; hanc omnes sine ullius exceptione personæ propositam [sibi] intelligant optionem, ut aut ea loca<sup>10</sup>, quibus minor est soli fecunditas, cum his ex quibus fructus uberes capiunt, suscipere, et tenere non abnuant: aut si eorum refugium sterilitatem, opimioribus cedant. — Dat. 8 id. novembr. TYRO, ARCADIO 5 et HONORIO 2 AA. CONSS. 594.

10. Impp. ARCAD. et HONOR. AA. Eutyichiano P. P.

Qui per potentiam fundos optimos ac fertiles<sup>11</sup> occuparunt: cum quaestuosius<sup>12</sup> uberibusque pro rata portione suscipiant infecundos ex eadem substantia. — Dat. non. Mart. CP., HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO CONSS. 598.

11. *Idem*, AA. Hadriano P. P.

Locorum domini intra sex<sup>13</sup> menses edictis vocati, revertantur: qui si adfuerint, et propria teneant, et ea, quæ ex præterito contraxerint debita, redhibere cogantur. Sin vero se impares esse carum rerum tributis propria confitentur absentia, nec adesse voluerint: penes eos, qui<sup>14</sup> hæc susceperint, et certum quem tributorum canonem promittunt, proprietatis possessionis interemerata permaneat: ut postquam ea exsolverint, sciant sibi inquietudinem submovendam, nec subreptione cujusquam competitionis loca, quæ tenuerunt, auferenda: quibus etiam illud<sup>15</sup> indulsumus: ut<sup>16</sup> ex eo tempore, ex quo primum loca, de quibus agitur, corperint possidere, tributa poscantur. — Dat. 6 kal. septembr. STILICONE et AURELIANO CONSS. 400.

12. Impp. HONOR. et THEOD. AA. Seleuco P. P.

Hæc definitione sancimus, nullum possessorem neque munificem præ-  
5. d. l. 4. — 6. l. 1. in fin. supr. eod. — 7. l. 5. l. 9. infr. de fund. patrim. — 8. l. 4. supr. h. t. — 9. l. 14. infr. eod. — 10. l. 4. supr. eod. — 11. d. l. 4. — 12. l. 12. infr. eod. — 13. l. ult. supr. de censib. tit. prox. — 14. l. 13. infr. h. t. — 15. l. 56. D. de jure fisci. — 16. l. 7. supr. de censib. et censur. l. 2. in fin. infr. de fundis rei priv. l. N. 125. c. 7. — 17. l. 30. supr. l. ult. infr. h. t. l. 4. supr. de agricol. et censur. l. N. 17. 52. 125. c. 14. l. an. supr. ut nullus ex vicin. l. 4. infr. de executor. et exact. — 18. l. 13.

dium pro<sup>17</sup> alienis debitis, vel destitutionibus esse retinendum, neque eorum prædiorum despectione prægravari, quæ ex iisdem bonis, quæ retinentur, nequaquam esse monstrantur: ne ullis præstigiis atque commentis exactio mutiletur. — Dat. prid. kalend. februar. RAVENNE, HONOR. 8 et THEOD. 5 AA. CONSS. 412.

13. *Idem*, AA. ad Probum.

Omnia prædiorum actores ac domini requirantur: quorum si vitio probantur debita fuisse contracta, in absoluto est, ut debeat<sup>18</sup> dominium commutari. — Dat. 3 id. Jun. CP., CONSTANTE et CONSTANTIO CONSS. 414.

14. *Idem*, AA. Aureliano P. P.

Rura, et possessiones, quas curiales quolibet pacto publicatis apud acta provincialia desideris suis, vel reliquerunt<sup>19</sup>, vel possidere alios permiserunt: penes eos, qui eas exsolverunt, et functiones publicas recognoscunt, firmiter perdurabunt, nullam habentibus curialibus copiam repetendi. — Dat. 3 non. decembr. HONORIO 10 et THEODOS. 6 AA. CONSS. 415.

15. *Idem*, AA. Sebasto com. primi ordinis.

Si quis deserta prædia, quæ navalem sustinent functionem, et in desertis nunc usque remanent, superæquationis jure perceperit: meliore conditione in omnibus titulis convenit ea relevari, ut gravis sors navis esse non possit, pro ea, quæ resederit portuicula: cum aliis fuerit dispendiis liberata. — Dat. prid. id. Mart. RAVEN., HONOR. A. 41 et CONSTANTIO 2 CONSS. 417.

16. *Idem*, AA. Hermocrati P. P.

Si quis auctoritate nostri nominis de fundis patrimonialibus<sup>20</sup> steriles sub certi canonis pollicitatione susceperit, firmiter cum volumus possidere: sub ejusdem tamen canonis solutione, quem nostræ majestatis auctoritas per annos singulos solvendum esse præscripsit, nullamque eos descriptionem, sive adjectionem, aut innovationem in posterum sustinere: quoniam nimis absurdum est, eos, qui nobis hortantibus fundos inopes, atque egenos, magno labore impenso, aut exhausto patrimonio vix forte meliorare poterunt, utpote deceptos inopinatum onus suscipere: illudque velut quadam circumventionem deposci, quod si se daturos præcessissent, fundos minime suscipere, aut etiam colere paterentur. — Dat. 12. kal. CP., THEOD. A. 48 et ALBINO CONSS. 444.

17. Imp. THEOD. A.

Jubemus neminem curialem pro<sup>21</sup> alieni territorii debitis detineri, sed tantum municipem pro gleba propria conveniri. — Dat. 5 kal. Maji RAVEN., post consul. FELICIS et TAURI VV. CC. 429.

## TIT. LIX.

DE FUNDIS LIMITROPHIS<sup>1</sup>, ET TERRIS, ET PALUDIBUS, ET PASCUIS, ET LIMITANEIS, VEL CASTELLORUM<sup>2</sup>.

1. Impp. VALENT., VALENS et GRATIAN. AAA. ad Licinium P. P.

Tiberianus ad possibilitatem singulorum quorumque locorum intuentis statuit certas possessiones, quæ ad limitem frumenta conveherent. Quocirca generali lege sancimus, Tiberiani dispositionem oportere observari: amoventes quidquid vel potentia cujuscumque elicit, vel furtiva deprecatio: addentesque nihilominus in futurum nulli licere adversus utilem vetustatem, et præsentem legem nostram importuna, et respuenda reposcere. — Dat. 8 kal. octobr. AQUILEIE, ARCAD. A. et BAUTONE CONSS. 585.

2. Impp. HONOR. et THEOD. AA. Asclepiodoto P. P. et cons. ordinario

Quicumque castellorum loca quocumque titulo possident, cedant ac deserant: quia his tantum fas est possidere castellorum territoria, quibus adscripta sunt, et de quibus judicavit antiquitas: quod si ulterius, vel privata conditionis quispiam in his locis, vel non castellanus miles fuerit detentator inventus, capitali sententia cum publicatione bonorum plectetur. — Dat. 5 non. Mart. CP., ASCLEPIODOTO et MARINIANO CONSS. 425.

3. Impp. THEOD. et VALENT. Nomo magistro officiorum.

Agros limitaneos universos cum paludibus omnique jure, quos ex prisca  
supr. h. t. l. 10. supr. de annoniis et tribut. l. 2. in fin. l. 7. in fin. l. 8. supr. de exact. trib. l. 2. in fin. infr. de fundis rei private. — 19. l. 8. in pr. supr. h. t. — 20. l. ult. vers. similiter, supr. de alluvionib. l. 2. in pr. infr. de fundis rei priv. — 21. l. 12. supr. h. t. l. 4. infr. de exact. l. N. 125. c. 16.  
Tit. LIX. — 1. l. 15. infr. de fundis patrimon. — 2. l. 2. infr. h. t.

dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare pro suo compendio, atque arare consueverant: et si in presenti coluntur, ab his firmiter, ac sine ullo concussionis gravamine detineri: et si ab aliis possidentur (cujuslibet<sup>3</sup> spatii temporis præscriptione cessante) ab universis detentatoribus vindicandos, iisdem militibus sine ullo prorsus (sicut antiquitus statutum est) collationis onere volumus adsignari: in his etiam contra eos, qui præceptionibus nostris obviam venire tentaverint, proscritionis pena valitura: nam si quis forte (quod minime audere debuerat) emptionis titulo, memorati juris possidet prædia: competens ei actio contra venditorem intacta servabitur. — Dat. prid. id. septemb. CONSTANTINOP., MAXIMO 2 et PATERIO CONSS.

## TIT. LX.

DE PASCUIS<sup>1</sup> PUBLICIS ET PRIVATIS.

4. Impp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. P. P.

Cum nulla ratio sit, cur in pascuis saltibus rei privatae pensio debeat ampliari, nequaquam pro libidine ordinum augmenta faciendæ sunt. Etenim idcirco graviorem pensionem imponi ab ordinibus accepimus, ut animalia ex rebus privatis nostris a locorum pastibus arceantur: quod fieri non oportere divæ memoriæ Julianus prorogata jussione constituit. Quare excellens auctoritas tua conventis provinciarum rectoribus non eam licitationis necessitatem patiatur inferri, quam repentinam faciunt civitates, sed cum manere decernat quomodo statuit antiquitas. — Dat. 8 kal. octobr. LUCERIE, VALENTINIANO et VALENTE AA. CONSS. 365.

5. Impp. ARCAD. et HONOR. AA. ad Simplicium magist. mil.

Insignis auctoritas tua hac conditione a publicis<sup>2</sup> pratis [ac amensis] pascuis animalia militum prohiberi præcipiat, ut universi cognoscant, de emolumentis eorum, tuique officii facultatibus, duodecim libras auri fisci commodis exhibendas, si quisquam posthac memorata præta mutilare tentaverit: non minore decernenda pena, si etiam præta privatorum. Antiochenorum fuerit devastata: ita tamen, ut sine læsione provincialium provideant curiales quo pacto animalium militarium pastui consulatur. — Dat. 5 id. Mart. CP., HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO V. C. CONSS. 598.

6. Impp. HONOR. et THEODOS. AA. comitibus et magistris militum.

Prata<sup>3</sup> provincialium nostrorum, et præcipue rei privatae nostræ perniciosum [vel periculosum] est militum molestia fatigari: ideoque lege ad amplissimum præfecturam promulgata, censemus, ne hoc deinceps usurpetur: super qua re universos quorum interest, convenire tua magnificentia non moretur: neque permittat possessores, vel colonos pratorum gratia qualibet importunitate vexari. — Dat. non. septemb. HONORIO 10 et THEOD. 6 AA. CONSS. 413.

## TIT. LXI.

DE FUNDIS PATRIMONIALIBUS, ET SALTUENSIBUS, ET EMPHYTEUTICIS, ET EORUM CONDUCTORIBUS.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Cypito.

Si quis fundos emphyteutici juris salva lege fisci citra iudicis auctoritatem donaverit, donationes firmas<sup>4</sup> sint, dummodo suis quibusque temporibus ea, quæ fisco pensitanda sunt, representare cogatur. — P. P. 17 kal. Jun. TREVER., CONSTANTINO A. 4 et LICINIO 3 CONSS. 515.

2. *Idem*, A. ad Dracontium.

Patrimonialis fundi pensationem, seu aurariam, seu frumentariam intra tempus omissam, minorum dominio non nocere præcipimus, nec ad fraudem juris eorum accedere, si quod solemniter debetur, paulo serius inferatur: ita tamen, ut permanente substantia parvulorum, judex tutorum, vel curatorum, per quem differtur illatio, negligentia suæ et deserti officii penas exigat, et damna deplorare compellat.

3. Impp. VALENT. et VALENS AA. ad Germanianum com. S. L.

Quicumque possessiones ex emphyteutico jure susceperint, ea ad refundendum uti occasione non possunt, qua asserant desertas esse cepisse,

3. l. 8. infr. de fundis patrimon.  
Tit. LXI. — 1. Supr. tit. prox. et lib. 7, tit. 41; l. 50, in fin. D. de verb. sign. — 2. l. 3. in pr. infr. h. t. — 3. l. 2. supr. eod.  
Tit. LXI. — 4. l. 16, in fin. D. de pignorat. vide tamen l. ult. supr. de reb. alien. non alien. l. N. 7. c. 1. vers. alienationis. — 2. l. 6. infr. h. t. — 3. l. 2. in fin. infr. de fundis rei priv. h. lib. tit. 65. — 4. l. 7. in pr. supr. de omni agro deserto, h. lib. tit. 58. — 5. l.

tametsi rescripta per obreptionem meruerint: sed nec avelli eas ab his posse, nec si licitatio ab alio fuerit promissa, sed eas in perpetuum apud eos, qui eas susceperint, et eorum posteritatem remanere, nec si super hoc rescriptum fuerit adversus eos impetratum. — Dat. 8 kal. oct. MEDIOLAN., VALENTINIANO et VALENTE CONSS. 365.

4. Impp. VALENS, GRATIANUS et VALENTINIAN. AAA. ad Florentium.

Fundi patrimoniales, et qui ex emphyteutico jure ad domum nostram diversis generibus devoluti sunt, sic eis, qui eos poposcerint, cedunt<sup>5</sup>, ut commissi metus esse non possit. Neque enim magis commodamus nostram, quam tradimus ea jure domini: ita<sup>6</sup> tamen, ut ea, quæ in nostra possessione positi præstiterint, et in posterum solvant. — Dat. id. Mart. TREVERIS, VALENTINIANO 2 et VALENTE. 2 AA. CONSS. 368.

5. Impp. GRATIAN. et VALENT. AA.

Si, qui a prioribus colonis, vel emphyteuticariis destitutum patrimoniale fundum a peræquatore, vel censitore susceperint, perpetuo<sup>7</sup> eundem atque inconcusso jure possideant, nec quisquam secundus petitor accedat. — Dat. 4 non. novembr. GRATIANO A. 4 et MERODAUDE CONSS. 377.

6. Impp. GRATIAN., VALENTIN. et THEOD. AAA. Nebridio com. R. P.

Hi, quibus patrimoniales possessiones per Asianam et Ponticam diocesium, vel a nobis, vel a divis parentibus nostris sacra largitate donatæ<sup>8</sup> sunt, inconcusse possideant, atque ad suos posteros transmittant: quod quidem non solum in heredibus, sed etiam in contractibus omnis generis volumus custodiri. — Dat. 4 kal. april. CP., RICHOMERE et CLEARCHO CONSS. 384.

7. *Idem*, AAA. Cynegio P. P.

Quicumque ad emphyteusim fundorum patrimonialium, vel reipublicæ jussu nostri numinis venerit, is, si redundantia fortunarum idoneus fuerit ad restituenda, quæ desertis forte possessionibus requirentur, patrimonium suum publicis implicet nexibus. Si vero minor facultatibus probabitur, datis fidejussoribus idoneis ad emphyteusim accedat: scientibus his, quos talium rerum cura sollicitat<sup>9</sup>, in se negligentia damna, si hujusmodi cautio defuerit, esse vertenda. — Dat. 6 kal. Maji CP., HONORIO NB. P. et EVODIO CONSS. 386.

8. *Idem*, AAA. Nearcho.

Omnes fundi patrimoniales per Mesopotamiam, et Osdrochenam provincias, quos constat divorum retro principum sanctionibus limiti deputatos, ad jus pristinum sine ullius adsertionis revocentur<sup>7</sup> obstaculo, præbituri omnia, quæ antea impendenda necessitatibus limitis præberi consueverant: ita ut nulli penitus audiantur, qui aut rescripto, aut adnotatione dominium, vel emphyteusim, vel conductionem quolibet genere largitatis de nostra liberalitate meruerint. — Dat. prid. kal. Maji CP., HONORIO NB. P. et EVODIO CONSS. 386.

9. Impp. ARCAD. et HONOR. AA. Eutyichiano P. P.

Universi cognoscant nihil privato jure, salvo<sup>8</sup> canone, fundis emptis<sup>9</sup> cum patrimonialibus esse commune: ita ut ad eos nunquam patrimonialium fundorum peræquator accedat: gravi multa feriendo, eo, qui statuta nostræ clementiæ ausus fuerit temerare. — Dat. prid. id. novembr. HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO CONSS. 598.

10. *Idem*, AA. Eutyichiano P. P.

Fundos patrimoniales eos duntaxat, qui salvo canone jure<sup>10</sup> privato nostra liberalitate<sup>11</sup> concessi sunt, cum his patrimonialibus, qui in conditione propria constituti sunt, illustris auctoritas tua jubeat exæquare: ita ut relevato onere rei, quod imminet fatigatis, translatio in eos, qui integris viribus florent [et adscriptio] tributorum æqua lance dividatur. — Dat. 4 id. april. CP., THEODONO CONSS. 599.

11. Impp. THEOD. et HONOR. AA. Probo com. S. L.

Jus emphyteutici prædii, quod sine obligationis vinculo retentatum est iudicio nostro, immutabile perdurare præcipimus: possessionem autem, quæ sine obligatione speciali fuerit vitiosa, vetustate temporis nolimus adjuvari. — Dat. id. april. RAVENNE, HONOR. 8 et THEODOS. 5 AA. CONSS. 409.

12. Impp. THEOD. et VALENT. AA. Tauro P. P.

Possessores, vel emphyteuticarii patrimoniales, qui fundos minime

4. in pr. supr. h. t. l. 1. l. 2. supr. ne fisco rem, quam vendidit, lib. 10, tit. 5: l. 1. infr. de fundis rei priv. h. lib. tit. 68; l. 4. l. 5. infr. de divers. præd. urban. h. lib. tit. 69; l. ult. infr. de locat. prædior. h. lib. tit. 70. — 5. l. 1. infr. d. t. de locat. prædior. — 7. l. ult. supr. de fundis limitroph. h. lib. tit. 59. — 8. l. 7. in pr. supr. de omni agro deserto, h. lib. tit. 58. — 9. l. 10. infr. h. t. — 10. l. 9. supr. l. 15. infr. eod. l. 9. supr. de omni agro deserto, h. lib. tit. 58. — 11. l. 12. infr. h. t. l. 59. in fin. D. de legat. 1.



nunc usque comparaverunt, eodem largitatis modo nequaquam ad eorum comparationem urgeantur: sed tanquam pretiis depensis, sic eis nostri numinis beneficio potiantur: ut quod juris alter inferendo pretium consecutus est, hoc nostra liberalitate praedictus emphyteuticarius habeat. Illud quoque jus, in quibus coluit praediis, quod aut ex successione, aut ex comparatione privata, aut nostri numinis liberalitate, aut quocunque modo possedit, sciat illibatam intemeratamque servari: licentia eis concedenda etiam libertates mancipiis ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticariis, cum fundorum sint domini, praestare. — Dat. 14 kal. Jul. ARIOBINDO ET ASPARE CONSS. 431.

13. *Idem*, AA. ad Florentium P. P.

Nulli jam in posterum licere praecipimus patrimonialibus, seu limitrophos, vel saltuenses fundos, qui per tractum Orientis positi sunt, ad<sup>12</sup> jus transferre privatum: sive dempto, sive salvo canone juris [fundorum] immutatio postuletur: legis temeratores quinquaginta librarum auri poena coercentes: tam videlicet petitoem, quam officium, quod petitionem concedit, admitti: licet adnotatio nostra, vel divina pragmatica contra vetitum proferatur. — Dat. 6 id. Jun. CP., THEODOSIO A. 17 ET PESTO CONSS. 439.

14. Imp. ANASTASIUS A. Matroniano P. P.

Jubemus omnes, qui in quacunque diecesi, aut quacunque provincia, vel quolibet saltu, vel civitate fundos patrimonialibus, vel templorum, aut agnothetici, seu relevatorum jugorum, vel cujuscunque juris per quadraginta<sup>13</sup> jugiter annos (possessione scilicet, non solum eorum qui nunc detinent, verum etiam eorum qui antea possederant, computanda) ex quocunque titulo, vel etiam sine titulo hactenus possederunt, vel postea per memoratum quadraginta annorum spatium possederint, nullam penitus super dominio memoratorum omnium fundorum, vel locorum, vel domorum a publico actionem, vel molestiam, aut quamlibet inquietudinem formidare, sed impositum canonem pro qualitate juris, cujus praedia sunt, aut loca, per singulos annos solventes, pro certo habeant suum esse, quod possident, vel postea possederint: ita ut omnibus ad excludendam omnem quolibet modo ex publico movendam questionem, nuda ex quocunque titulo, vel etiam sine titulo corporalis quadraginta annorum iuris possessionis exceptio possit sufficere: hoc etiam adiciendo, ut illi quoque, qui adempto canone hujusmodi fundos ab initio principali jussione datos sibi fuisse confirmant: si per quadraginta annos adempti canonis beneficium jugiter possederunt, nec canonem, cujus ademptionem quadraginta (sicut dictum est) annorum possessio testatur, possint penitus profligari: eo quod nostrae pietati placuit in utroque casu, id est tam salvo, quam adempto canone, possessorum nostrorum jura in eo statu, in quo<sup>14</sup> per quadraginta annos (sicut dictum est) jugiter manserant, absque ulla innovatione durare. — Dat. 3 kal. Aug. CP., OLYB. 3 C. CONSS. 491.

## TIT. LXII.

### DE MANCIPIIS ET COLONIS PATRIMONIALIUM, SALTUENSIIUM, ET EMPHYTEUTICORUM FUNDORUM.

1. Imp. CONSTANTINUS.

Emphyteuticarios gravant coloni, agros praeter consuetudinem usurpantes, quos nullis cultoris erudierunt: cum solennitas id eos attrahere permittat, quod eorum labore, vel olivetis est insitum, vel vinetis. Sed et irriguas fontium aquas usurpare conantur, quarum fructus solis emphyteuticariis debentur. Ideoque placuit, ut deinceps aquarum jura potestatesque penes emphyteuticarios permaneat: tantumque ex [eis] colonis impertiatur, quantum cultoris eorum agrorum sufficere manifestum est, quos ipsi colunt: pro modo autem superfluae irrigationis, quam ultra culturas suas usurparint, emphyteuticariis possessoribus pensiones actionesque praebant. — P. P. 7 id. Mart. Carthagine, CONSTANTINO A. 5 ET LICINIO CC. CONSS. 319.

2. Impp. VALENS, GRATIAN. ET VALENT. AAA. ad Germanianum com. S. L.

Libertates, quas mancipiis ex fundis patrimonialibus, atque emphyteuticis, qui fundorum non sunt domini, praestiterint, rationales homines praecipit auctoritate rescindant. — P. P. 13 kal. Maji LUPICANO ET JOVINO CONSS. 367.

<sup>12</sup> L. 9, l. 10, supr. h. t. — <sup>13</sup> L. 4, l. 6, supr. de praeser. 50 vel 40 annor. — <sup>14</sup> *Fide* tamen de l. 6.  
Tit. LXIII. — 1. L. 17, supr. de decurion. — 2. *Adde* L. 12, supr. de agric. et censit., h. lib. tit. 47.

5. Impp. GRATIAN., VALENT. ET THEOD. AAA. Posthumiano P. P.

Cognovimus a nonnullis, qui patrimonialibus fundos meruerunt, colonos antiquissimos perturbari, atque in eorum locum, vel servos proprios, vel alios colonos surrogari. Edicti itaque hujus auctoritate sancimus, eos, qui deinceps aliquid hujusmodi crederint attentandum, iisdem possessionibus esse privandos.

4. *Idem*, AAA. Cynegio P. P.

Super patrimonialium refectione fundorum dudum nostris est legibus constitutum, ut hi, qui eos colentes, solum eorum verterant: nunc [ad] alia [se] loca dirigentes, nunc ad militiam convolantes, ad avitas conditiones et propria jura revocantur. Caeterum eos, qui castrensibus stipendiis otia quietam meruerunt, [jam] veterani constituti, nequaquam placet tela in usum vomeris ligonisque convertere.

## TIT. LXIII.

### DE FUGITIVIS COLONIS PATRIMONIALIBUS, SALTUENSIBUS ET EMPHYTEUTICIS.

1. Impp. VALENT., THEOD. ET ARCAD. AAA.

Quicumque parvuli ex municipibus<sup>1</sup>, vel colonis patrimonialibus vel saltuensibus, quorum tamen avi ac patres implicati hujusmodi functionibus fuerint, conniventia militaris officii ad stipendium castrense, vel officia diversa transierint: ad munera patriae, vel [ad] agrorum cultus conventis ducibus, tribunis, ac praepositis revocentur, neque his stipendia [data] prosint.

2. *Idem*, AA. Cynegio P. P.

Quisquis colonum patrimonialium aut sollicitatione susceperit<sup>2</sup>, aut occultatione celaverit: non solum ipsum restituere, sed etiam libram auri poenae nomine inferre cogatur. — P. P. 8 kal. novemb. Constantinop., HONORIO N. P. ET EVDIO CONSS. 386.

3. Impp. HONOR. ET THEOD. AA. ad Anthemium P. P.

Cujuscunque adnotationis, vel oraculi dudum impetrati, vel postea eliciendi auctoritate submota: omnes, quos patrimonialium agrorum vinculis fortuna tenet adscriptos, sub quibuslibet gradibus militantes, ad provinciae moderatoris iudicium illico sub idonea intercessione mittentur.

## TIT. LXIV.

### DE COLLATIONE FUNDORUM PATRIMONIALIUM, ET EMPHYTEUTICARIORUM.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Proculum proconsulem Africae.

Emphyteuticarii possessores, qui mansuetudinis nostrae beneficio ad extraordinaria minime devocantur [munera:] sicut caeteri provinciales, obsequium suum itineribus<sup>1</sup> muniendis impendant. Nulla enim ratione debent ad hoc, quod in commune omnibus profuturum est, seungi.

2. *Idem*, A. ad Ovinium.

Patrimonialibus fundos<sup>2</sup> extraordinariis oneribus, vel mediae, aut tertiae portionis obsequiis fatigari non convenit, cum eisdem, et auri<sup>3</sup> specie, et framenti plurimum modum constet persolvere: ita ut qui violare statuta tentaverit, puniatur. — P. P. 6 kal. septembr. Carthagini, CONSTANTINO A. 5 ET LICINIO CONSS. 319.

3. Imp. JULIANUS A.

Omnes, qui patrimonialibus fundos sive communiter, sive ex asse retinent, pro his conveniendi sunt ad universorum numerum ad eosdem fundos pertinentium pro rata portione, vel in solidum functiones, sicut unumquemque privatorum necessitas publicae pensionationis adstringit. — Dat. 5 kalend. april. MAMERTINO ET NEVITA CONSS. 362.

4. Impp. VALENT. ET VALENS AA. ad Germanum.

Placuit, ut emphyteuticorum fundorum patrimonialiumque possessores, quo voluerint tempore, et quantum habuerint pensionis paratum: dummodo non amplius quam in tribus per singulos annos vicibus officio rationalis adsignent: ac de suscepto ab eodem securitatem eodem die pro

Tit. LXIV. — 1. L. 4, infr. de priv. domus Augustae, h. lib., tit. 74. — 2. L. 15, supr. de excusat. muner., lib. 10, tit. 47. — 3. L. 2, supr. de fund. patrimon., h. lib., tit. 61; L. 10, supr. de excus. muner., lib. 10, tit. 47.

more percipiant: modo ut intra Januariarum idem diem omnis summa rationis publicis inferatur: gravissima poena subdendo officio, si cuiquam quolibet anni tempore (dummodo nequaquam numerum ternae illationis excedat) solutionem facere gestierit negaverit susceptionis officium: vel si moram fecerit in chirographo securitatis edendo: super quo possessores, aut procuratores, vel magistratus, aut quicumque in locis fuerint, qui conficiendum actorem habeant potestatem, conveniat contestari: ut et de officii insolentia constet, in quo exercenda vindicta est: et his possit esse consultum.

5. Impp. ARCAD. ET HONOR. AA. Messala P. P.

Per omnes provincias patrimonialium fundorum ab ordinariis<sup>4</sup> iudicibus canon exigatur: et quicquid exactum fuerit, dirigatur. Sciant<sup>5</sup> vero memorati iudices nihil sibi ex privata rei canone, vel ex eo, quod ex iisdem titulis contigerit, ad necessitates alias transferendum: nisi maluerint gravissima severitate eorum licentiam coerceri. — Dat. 6 kal. Jul. Mediol., THEODOSIO CONSS. 599.

## TIT. LXV.

### DE FUNDIS REI PRIVATE, ET SALTIBUS DIVINAE DOMUS.

1. Imp. CONSTANTINUS A.

Universi<sup>1</sup> cognoscant has possessiones quas de fisco nostro comparaverunt, seu comparant, nullo a nobis jure retrahi: sed propria firmitate possessas, etiam ad posteros suos domini perpetui durabilitate dimitti.

2. Impp. VALENT. ET VALENS AA. ad Flavianum com. R. P.

Hi, quos commoditas privata rei praediorum ad ea postulanda sollicitat, adeant tuae dignationis officium, et modum suae deliberationis indicent per libellos: certumque habeant quod unaquaeque villa cum eo onere, vel forma cui nunc habetur obnoxia, ad novi domini jura migrabit: ut si<sup>2</sup> quid adjecerit sumptus cura, vel solertia, quicquid mancipiorum, vel pecoris accreverit, capitacionis, aut canonis augmenta non patiantur, sed solis dominis hereditibusque dominorum sit cessura felicitas. Siquis autem in annis singulis<sup>3</sup> non solverit debitum ex re ipsius, quod in reliquis remansisse claruerit, sine aliquibus dependere cogatur induciis. Sane si quem postea minus idoneum factum esse constat, nec ita ut expedit, rationem reddere pensionis: res, quas ex nostris rebus acceperat, ad alium<sup>4</sup> idoneum jure quo sancimus, transferentur: nec tamen decoctoris cujusque reliquis<sup>5</sup>, qui novus accedit, onerabitur.

3. Impp. GRAT. ET VALENT. AA.

Quicumque possessionem rei privatae nostrae acceptam suo nomine, vel jure perpetuo, et vel titulo conductionis ei crediderit esse tradendam, qui pensare utilitatem patrimonii nostri solvendo non valeat: is<sup>6</sup> pro eo, quem succedaneum surrogavit, perpetuae solutioni statuatur obnoxius.

4. *Idem*, ad Orebium.

Universi fundi templorum ad rationalium rei privatae sollicitudinem, curamque pertineant: atque ab his anniversariis solutionibus postulatis, peculiari (ut semper fuit) studio defendantur.

5. *Idem*, ad Nebridium.

Usus aquae, quae fundorum nostrorum utilitatibus serviebat, plurimum dicitur usurpatione sublati: idque procuratorum<sup>7</sup> conniventia, vel dissimulatione perfectum, ut agrorum fertilitas destituta, nullos fructus cultoribus praestet. Quia igitur satis injustum est statutum florentis ante patrimonii, aridae sitis molestia fatigari: ad meatus pristinos universum aquae motum, temporis praescriptione submota, praecipimus revocari.

6. Imp. ARCADIVS.

Eum, qui collegio, vel curiae, vel burgis, caeterisque corporibus per xxx ann. sine interpellatione servierit: res dominicae, vel intentio privata non inquietabit, si colonatus, vel inquinatus questionem movere tentaverit: sed in curia, vel in corpore in quo servierit, remaneat. — Dat. 3 kal. Jul. Mediolan., STILICHONE ET AURELIANO CONSS. 400.

4. L. 7, in pr. supr. de excusat. tribut. lib. 10, tit. 19; L. 1, in pr. infr. de collat. fundor. fiscal., h. lib., tit. 73. — 5. L. ult. supr. de his quae ex publ. collat., lib. 10, tit. 73.  
Tit. LXV. — 1. L. ult. supr. ne fisco rem, quam vendidit, evineat., lib. 10, tit. 5; L. 6, supr. de fund. patrimon., h. lib., tit. 61. — 2. L. 16, in pr. supr. de omni agro deserto, h. lib., tit. 58. — 3. L. 4, supr. de fundis patrimon., h. lib., tit. 61. — 4. L. 13, supr. de omni agro deserto, h. lib., tit. 58. — 5. L. 11, in fin. supr. de l. ult. in pr. supr. de censib., h. lib., tit. 57. — 6. L. 47, in fin. D. de jure fisci. — 7. L. ult. supr. de condit. in publ. horreis, lib. 9, tit. 26. — 8. L. 2, supr. sine censu vel reliquis. — 9. *Adde* L. 7, supr. de agric. et censit., h. lib., tit. 47. — 10. L. ult. supr. de fundis patrimon., h. lib., tit. 61.  
Tit. LXVI. — 1. L. ult. supr. de rei domini vel templor., 2. L. 2, supr. de praeser. 50 vel 40 annor.  
Tit. LXVII. — 1. L. 5, infr. h. t.; L. ult. § 1, D. ad municip.; L. 5, § 11, D. de jure in munici. — 2. L. 16, l. 21, l. ult. supr. de agric. et censit., h. lib., tit. 47. — 3. L. 1, supr. h. t. — 4. *Adde* L. 1, supr. de agric. et censit., h. lib., tit. 47; L. 1, supr. ne rusticani, h. lib. tit. 54.

7. Impp. THEOD. ET VALENT. AA. ad Eudoxium.

Nemo<sup>8</sup> dempto canone ad comparationem dominicae possessionis accedat. Quod si quis in posterum ad interdictum contractum accesserit, eum volumus pretia<sup>9</sup> perdere perpetuo: nec expensarum, vel melioratae rei fructuum exactioni compensationem opponere: nec temporis sibi meti contra [nostra] commoda praescriptione [excepto vetustatis<sup>10</sup> auxilio] blandiri; palatinum etiam officium, si quoquo modo contractus ejusmodi fuerit celebratus, vel si talem petitionem instruxerit, quinquaginta pondo auri poenae nomine inferre privato nostrae mansuetudinis aetario: nulla liberalitate nostrae clementiae, nulla sanctione contra tanta rei privatae commoda valitura, licet adnotatio, vel divina pragmatica sit, quae contra vetita canonem vendere concedat, vel poenam palatino remittat officio. — Dat. 15 kal. Jun. Constantinop., ANATOLIO V. C. CONSS. 440.

## TIT. LXVI.

### DE FUNDIS, ET SALTIBUS REI DOMINICAE.

1. Impp. VALENT., THEOD. ET ARCAD. AAA. ad Dripatium.

Si quis ovium, vel equarum greges in saltus rei dominicae alienus imiserit: fisco illico vindicentur. Quod si venalis procuratorum conniventia, ut id deinceps tenetur, admiserit: eos gravissimo jubemus supplicio subjacere.

2. Impp. ARCAD. ET HONOR. AA. ad Paulum comitem dominicae rei.

Si qua<sup>1</sup> loca ad sacrum dominium pertinentia cujuslibet temeritas occupaverit: secundum veteris census fidem in sua jura retrahantur, rescriptis per obreptionem impetratis, et praescriptione longi temporis, et novi census praedictis in hac causa submovendis. Neque enim, aut praecatio colorata, aut incubatio diuturna, aut novella professio, proprietatis nostrae privilegium<sup>2</sup> abolere poterunt. — Dat. 3 kal. april. CP., ARCAD. 4 ET HONOR. 3 AA. CONSS. 596.

## TIT. LXVII.

### DE AGRICOLIS, ET MANCIPIIS DOMINICIS, VEL FISCALIBUS REIPUBLICAE.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Constant. P. P.

Nullus omnino originalis colonus<sup>1</sup> rei privatae nostrae ad aliquos honores, vel quolibet alia civitatis munera devocetur. Non enim civitatum ordinibus, et caeteris, ex quibus pro multitudine fieri nominationes oportet, per omnia florentibus ad haec suprema praesidia injuriosa nominatione descendendum est.

2. *Idem*, A. Januario P. P.

Colonos nostros, qui privati sunt, vel ad ratiocinia gerenda, vel ad colendis agros idonei, retrahi jubemus, ac tantum colendis nostris rebus addici: quietiam in posterum observari, ne quis eorum rem privatam cujusquam gerendam, aut aliquid administrandum suscipiat.

3. *Idem*, A. ad Equitum magistrum equitum et peditum.

Servi, atque coloni, et eorum filii, vel nepotes, vel quicumque de fundis, ac possessionibus nostris clanculo ad officia convolaverint diversa: reddantur, etiam si armatae habuerint sacramenta militiae. Nos enim etiam eos discingi jubemus, ac reddi, qui protectorum fuerint nomen adepti.

4. Impp. GRAT., VALENT. ET THEOD. AAA. ad Florum.

Ex ingenio, et colonis, ancillisque<sup>2</sup> nostris natos, natasve, origini, ex qua matres eorum sunt, facies deputari.

5. Impp. VALENT., THEOD. ET ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

Dominicos<sup>3</sup> colonos, neque ad descriptionem<sup>4</sup> patrum devocari, neque extraordinarias pati functiones: maxime cum adversus consuetudinem memoratis onera dicantur inferri.

h. lib., tit. 47. — 10. L. ult. supr. de fundis patrimon., h. lib., tit. 61.  
Tit. LXVI. — 1. L. ult. supr. de rei domini vel templor., 2. L. 2, supr. de praeser. 50 vel 40 annor.  
Tit. LXVII. — 1. L. 5, infr. h. t.; L. ult. § 1, D. ad municip.; L. 5, § 11, D. de jure in munici. — 2. L. 16, l. 21, l. ult. supr. de agric. et censit., h. lib., tit. 47. — 3. L. 1, supr. h. t. — 4. *Adde* L. 1, supr. de agric. et censit., h. lib., tit. 47; L. 1, supr. ne rusticani, h. lib. tit. 54.



